

Bona opera
non sunt for-
ma justifica-
tionis.

*Bona opera non sunt necessaria ad salutem per-
ficiendam, sub ratione Cause Formalis.*

*LV. Forma & complementum justiciæ coram DEO
valentis, in quadam, nescio quâ, inhærente qualitate &
bonorum operum dignitate collocant adversarij, adeoq;
justificationem fidei imperfectã, mancã atq; inutilem esse au-
tumant, nisi per bona opera consummetur & perficiatur: Quæ
& ipsa tamen sententia, utpote nullo scripturæ subnixâ fulcro,
suâ ipsius imbecillitate, nullâ externâ vi commota, facile col-
labitur.*

*LVI. Si enim justitia inhærens esset forma nostræ coram
DEO justificationis, tunc necessario esset perfecta: Quicquid
enim formam, essentiam & perfectionem alteri largitur, id in
se perfectum & absolutum sit necesse est; Quod autem in se im-
perfectum est, aliud perficere non potest. At justitia operum
tàm Actualis quam habitualis non est perfecta: Non
illa: Ubi enim terrarum invenies hominem ejusmodi, qui sem-
per benè agens non peccet, & cujus actiones universæ atq; sin-
gulæ ad ἀρχὴν καὶ νόμον legis ad amissum congruant? Multò
minus hæc: siquidem perfectio & imperfectio actionis à per-
fectione & imperfectione habitus tota dependet, & o-
ptimi atq; perfectissimi habitus optima & perfectissima est ἐνέγ-
γεια & contra: Perfectus igitur justiciæ habitus nullibi locum
invenit, nisi ubi est plena Legis secundum omnes apices obser-
vatio Gal. 3. v. 10. Jacobi 2. v. 10. Quæ cum nullibi inveniat, patet quod neq; actuali, neq; habituali operum justiciâ, forma-
liter justiciam constituamur & pronunciemur.*

*LVII. Deindè, Si bona opera essent forma justificati-
onis nostræ coram DEO, sequeretur, illa potiores habere par-
tes*

I.

Quia non
possunt perficere
iusticiam nostram.
Nec actualis
nec habitualis
justicia est
perfecta.

2.

Opera non
præcedunt
justificandum
sed sequuntur
justificatum.